

DE PERIODO INITIALI SEU INTRODUCTORIA PROCESSUS IN CAUSIS NULLITATIS MATRIMONII*

Introductio

In processu distingui possunt quattuor periodi: introductoria, instructoria seu probatoria (colliguntur probationes), discussoria (disceptatio fit inter partes et defensorem vinculi atque promotorem iustitiae si iudicio intersint) et decisoria (fertur decisio). In hac relatione solummodo de prima periodo sermo fiet.

In prima processus periodo, seu antequam instructio causae incipit¹, tria a iudice peragenda sunt, nempe:

- admissio libelli,
- citatio partis conventae
- et litis contestatio².

* Relatio in secundo Symposio Iuris Canonici habita, quod in loco v. d. Spišské Podhradie (Slovachia) diebus 9-12 septembris 1992 celebratum est. Idem textus in lingua slovaca publici iuris factus est in *Ius et Iustitia*, vol. III, Spišská Kapitula - Spišské Podhradie 1994, pp. 211-265, et in Z. GROCHOLEWSKI, *Štúdie z procesného kanonického práva*, Spišská Kapitula - Spišské Podhradie 1995, pp. 119-180.

¹ Can. 1529 statuit: «Iudex ad probationes colligendas ne procedat ante litis contestationem nisi ob gravem causam». De hac re dicam infra, sub I, 8.

² De primis duobus sermo est in Codice sub titulo *De causae introductione* (cc. 1501-1512). De tertio Codex agit sub alio titulo, nempe *De litis contestatione* (cc. 1513-1516).

Agitur de rebus magni momenti quibus relatio processualis instauratur inter partes et iudicem necnon obiectum controversiae determinatur per processum definiendae. Haec tria insuper praesuppositum constituunt pro ordinata et efficaci instructione — ac dein disceptatione ac definitione — causae. Quam ob rationem haud peracta vel non recte peracta inficere possunt, uti videbimus, validitatem actorum, immo et sententiae.

In hac relatione prae oculis habeo processum in causis nullitatis matrimonii, quae maximam partem activitatis tribunalium ecclesiasticorum constituunt, seu commentarium institutum canonum 1501-1516, quatenus ii pro praedicto processu momentum habent (cf. c. 1691), una cum canonibus 1671-1677, qui specificè ad causas nullitatis matrimonii sese referunt.

Considerato scopo huius Symposii necnon limitato tempore pro hac relatione mihi concesso, adspetus practicos prae oculis habeo potius quam considerationes theoreticas, nisi hae necessariae appareant pro recto praescriptorum legis intellectu. Ob easdem rationes exponam legem vigentem, praetermittendo comparisonem cum vetere Codice, quae saepe in commentariis novi Codicis fit.

Nunc singillatim de praedictis tribus processus institutis agam.

I. De libello litis introductorio eiusque admissione aut reiectione

1. Necessitas petitionis iudicialis

Codex Iuris Canonici prohibet iudicem ecclesiasticum quamlibet causam cognoscere ex officio, seu motu proprio, id est absque petitione, «ad normam canonum,

proposita... ab eo cuius interest, vel a promotore iustitiae» (c. 1501)³. Immo, si iudicium factum sit sine huiusmodi petitione, sententia vitio insanabilis nullitatis laborat (cf. c. 1620, n. 4).

Id etiam significat iudicem *ultra petita* decidere non posse.

Quapropter praedicta petitio — quatenus dein in litis contestatione pressius definiatur — determinabit obiectum probationum, disceptationis et decisionis.

2. *Quis huiusmodi petitionem proponere potest?*⁴

Non omnes tamen «quorum interest» declarationem nullitatis matrimonii petere possunt.

a. *Utroque coniuge vivente* habiles ad impugnandum matrimonium, seu ad petendam declarationem eius nullitatis, sunt solummodo:

— ipsi coniuges, de quorum matrimonio agatur, si-ve sint baptizati sive non (cf. c. 1476), non vero eorum filii, parentes, heredes, vel alii quoque, qui aliquod interesse oeconomicum vel morale habeant ad impugnandum matrimonium: hi id facere non valent;

— et promotor iustitiae, hic tamen tantum «cum nullitas iam divulgata est, si matrimonium convalidari nequeat aut non expediat» (c. 1674).

b. *Aliter res se habet post mortem alterutrius vel utriusque coniugis*. Notandum est vinculum coniugale tunc utcumque non amplius existere. Ad rem Codex statuit: «Matrimonium quod, utroque coniuge vivente,

³ Causa iam legitime introducta, tamen, iudex etiam ex officio procedere potest ad normam c. 1452.

⁴ Quoad hanc quaestionem vide: F. DANEELS, *Il diritto di impugnare il matrimonio (cann. 1674-1675)*, in *Il processo matrimoniale canonico*, Città del Vaticano 1988, 143-149.

non fuit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis accusari non potest, nisi petitio de validitate sit praeiudicialis ad aliam solvendam controversiam sive in foro canonico sive in foro civili» (c. 1675, § 1), v. gr. respicientem hereditatem vel legitimationem prolis, etc. Haec «alia controversia» — uti videtur — non necessario esse debet iudicialis sed sufficit etiam controversia administrativa⁵.

Si proinde huiusmodi circumstantia verificatur, declarationem nullitatis petere potest quivis, cuius interest ut quaestio de validitate matrimonii praeiudicialiter solvatur in ordine ad aliam controversiam definiendam, id est superstes coniux (si de morte alterutrius tantum agitur), heredes, necnon «personae consanguineae vel affines coniugis defuncti, etsi non heredes stricto sensu, vel etiam extraneae, quando constat intercedere correlationem, eamque legitimam, inter ipsorum iura vel officia et declarationem nullitatis matrimonii»⁶.

In praedicta circumstantia excluditur tamen possibilitas accusandi matrimonium ex parte promotoris iustitiae; hic enim officio tenetur providendi bono publico (c. 1430), non autem bono privato, quod bonum publicum salusve animarum solummodo praesumpto coniuge vivente in discrimen vocari potest non vero post mortem saltem alterutrius⁷.

⁵ SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL, coram SABBATANI, diei 16 octobris 1982, n. 8Bc, in *Periodica* 72 (1983) 120-121.

⁶ *Ibidem*, 118 n. 7.

⁷ Ad rem cf. SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL, coram STAFFA, diei 3 iulii 1971, in *Periodica* 61 (1972) 145-151; G. USAI, *L'impugnazione del matrimonio dopo la morte di uno od entrambi i coniugi (can. 1675)*, in *Quaderni Studio Rotale* 3 (1989) 48.

Quae omnia valent etiam quoad reassumptionem, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis, causae quae utroque coniuge vivente iam perempta fuit vel eadem actor tunc renuntiavit⁸.

3. *Forma petitionis (libelli) et ea quae petitio continere debet*

Memoratus c. 1501 dicit de petitione proposita «ad normam canonum».

a. Iuxta cc. 1502-1504, praedicta petitio *regulariter* facienda est scripto per sic dictum libellum. Quapropter vox «libellus» pro voce «petitio» vel «petitio iudicialis» adhibetur et vice versa⁹.

Prae oculis habito c. 1504, libellus — «in quo controversiae obiectum proponatur, et ministerium iudicis expostuletur» (c. 1502) — in causis nullitatis matrimonii has continere debet indicationes:

- quis petat, seu quis sit *actor*;
- quis sit alter coniux, seu *pars conventa*;
- «coram quo iudice causa introducatur», seu ad quod *tribunal* libellus dirigatur;
- «*quid petatur*», id est constare debet actorem petere declarationem nullitatis matrimonii;
- «quo iure innitatur actor», seu quae sit *causa petendi*; aliis verbis: quam ob legem actor censeat matrimonium suum esse nullum, vel quod caput nullitatis matrimonii adducatur. Ad rem recte animadversum est: «Utique actor in libello non tenetur exprimere <nomen

⁸ Cf. ROTA ROMANA, coram POMPEDDA, diei 30 novembris 1987, in *Quaderni Studio Rotale* 3 (1989) 51-53.

Quoad casum mortis coniugis pendente causa, cf. c. 1675, § 2, coll. cum c. 1518, necnon G. USAI, *L'impugnazione...* (cf. nt. 7), 48-49, atque F. DANEELS, *Il diritto di impugnare...* (cf. nt. 4), 150-151.

⁹ Videas cc. 1501, 1502, 1677, § 1, 1686, 1700, § 2.

iuris> facti iuridici a se adducti, nisi forte a iuris perito hac in re adiuvetur; necesse est tamen ut libellus circumstantias ferat ponderis vere iuridici, ex quibus illud deduci potest, ex. gr. adiuncta coactionis, reiectae fidelitatis coniugalis et ita porro»¹⁰;

— generatim saltem, quae exsistent «*facta et probationes* ad evincenda ea quae asseruntur», seu indicandi sunt testes quos actor adducere intendit, documenta quae producere vult, peritiae quas peragendas proponit; non est tamen necessarium omnes enumerare probationes, sed sufficit ut actor generatim indicet quomodo ea quae asserit probare intendat;

— *diem*, mensem et annum confectionis libelli;

— *locum*, «in quo actor [aut parens, tutor vel curator si pro eodem ad normam c. 1478 agit] vel eius procurator habitant, aut residere se dixerint actorum recipiendorum gratia»;

— *domicilium* vel quasi-domicilium partis conventae¹¹.

Libellus insuper, iuxta praedictum c. 1504, n. 3, *subscribi* debet ab actore (aut parente, tutore vel curatore si quis eorum pro actore ad normam c. 1478 agit) vel eius procuratore. Si subscribitur a procuratore, hic exhibere debet authenticum mandatum procuratorium ad normam c. 1484 (absque legitimo mandato sententia esset insanabiliter nulla: cf. 1620, n. 6).

b. *Exceptionaliter* iudex admittere potest petitionem oralem. Codex indicat duos casus in quibus id fieri potest, nempe: a) quoties «actor libellum exhibere impediatur» et b) quoties «causa sit facilis investigationis et minoris momenti» (c. 1503, § 1), quae elementa in secundo

¹⁰ A. STANKIEWICZ, *De libelli reiectione eiusque impugnatione in causis matrimonialibus*, in *Quaderni Studio Rotale* 2 (1987) 75.

¹¹ Quoad domicilium vel quasi-domicilium cf. c. 102.

casu — uti ex verbis patet — simul exstare debent. Animadvertendum statim est causas matrimoniales plerumque non pertinere ad eas quae sint «facilis investigationis», et praesertim dicendum est eas numquam «minoris momenti» habendas esse. Quam ob rationem in iisdem causis petitio oralis admitti potest tantummodo quoties «actor libellum exhibere impediatur», v.gr. quia scribere nescit vel ob aliquem morbum non potest¹². Sed etiam

¹² M. HILBERT dicit: «Il canone stabilisce che una domanda orale può essere presentata quando... l'attore è *moralmente* impedito; per es., l'intimità, la "privacy" della persona non può essere protetta e l'attore potrebbe soffrire delle conseguenze se la domanda fosse resa pubblica» (*L'introduzione della causa*, in *Forum* 3, 1992, I, 47).

Talis interpretatio acceptari non potest, immo nequidem intellegitur. Etenim:

a) Processus canonicus ex natura sua est et esse debet publicus erga partes. Quapropter etiam in casu petitionis oralis, ea quae in libello includenda sunt — uti mox dicemus — scripto redigi debent ope notarii, et ex eius scriptura clare ea patebunt quae actor eidem dixit, atque, salva exceptione de qua in c. 1598, § 1, vere non intellegitur quomodo ea, pro causa essentialia quae in libello includenda sunt, abscondi possint alteri coniugi. Aliquando iudex potest quidem, uti infra dicam (II, 3), primae citationi partis conventae libellum non adiungere, si «propter graves causas censeat libellum significandum non esse parti antequam haec deposuerit in iudicio» (c. 1508, § 2), at tali in casu post depositionem partis conventae in iudicio libellus eidem notus fieri debet;

b) Quoad extraneos, processus canonicus est per se secretus. Quapropter, ad normam Codicis, in iudicio contentioso «si ex revelatione alicuius actus processualis praeiudicium partibus obvenire possit, iudices et tribunalis adiutores tenentur ad secretum officii servandum» (c. 1455, § 1). «Immo, quoties natura causae vel probationum talis sit ut ex actorum vel probationum evulgatione aliorum fama periclitetur, vel praebeatur ansa dissidiis, aut scandalum aliudve id genus incommodum oriatur, iudex poterit testes, peritos, partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando astringere ad secretum servandum» (c. 1455, § 3). Ad rem cf. IOANNES PAULUS II, *Allocutio ad Rotam Romanam*, diei 26 ianuarii 1989, nn. 8-9, in AAS 81 (1989) 925-926.

huiusmodi in casibus, attenta quoque necessitate ulterio-
ris participationis actoris in causa, melius sit, quatenus
possibile, ut actor sibi procuratorem et advocatum nomi-
net qui libellum conficiat et exhibeat. Id eidem a iudice
suadendum videtur. Immo forsitan aliquibus in circum-
stantiis iudex ad hoc actorem obligare possit, Codex
enim dicit: petitionem oralem iudex «admittere potest»
(c. 1503, § 1), non vero «admittere debet».

In casu tamen petitionis oralis de qua sermo, iudex
iubere debet notarium «scriptis actum redigere qui ac-
tori legendus est et ab eo probandus» (c. 1503, § 2).
Evidenter necesse est ut haec scriptura contineat ea
omnia elementa quae ipse libellus de quo supra, praeter
actoris subscriptionem. Acta enim, quae notarii confi-
ciunt — et «cum significatione loci, diei, mensis et an-
ni» subsignant (cf. c. 484, n. 2) — «publicam fidem fa-
ciunt» (c. 1437, § 2).

Hic actus «locum tenet libelli ab actore scripti ad
omnes iuris effectus» (c. 1503, § 2), et de facto simpli-
citer tamquam «libellus» in canonibus sequentibus
consideratur¹³, immo de praedicta petitione orali sermo
est in capite «de libello litis introductorio»¹⁴. In ulterio-
ribus considerationibus, exinde, quando dicam de libel-
lo, sub hac voce intellegendum est etiam praefatum ac-
tum a notario confectum.

4. *Constitutio tribunalis*

Exhibito libello, Vicarius iudicialis quam primum
— per decretum — tribunal constituere debet ad viden-
dum de causa proposita.

¹³ Cf. cc. 1505, §§ 1-4, 1506, 1507, §§ 1-2, 1508, § 2, 1677, § 1.

¹⁴ Cf. ante c. 1501.

a. Cum causae nullitatis matrimonii «tribunali collegiali trium iudicum reservantur» (c. 1425, § 1)¹⁵, Vicarius iudicialis *collegium* iudicum designare debet, et quidem «ex ordine per turnum, nisi Episcopus in singulis casibus aliter statuerit» (c. 1425, § 2)¹⁶.

Unus ex his designari debet tamquam collegii *praeses*. Ad quod munus exercendum assumendus est «quatenus fieri potest» ipse Vicarius iudicialis vel Vicarius iudicialis adiunctus (c. 1426, § 2). In periodo introductoria processus, de qua in hac relatione sermo est, fere omnia — uti videbimus — peragere debet praeses, et collegium qua tale non intervenit, nisi ad solvendum recursum adversus decisionem praesidis¹⁷.

b. In casibus exceptionalibus, uti scimus, scilicet «si forte collegium constitui nequeat» et solummodo ad tempus «quamdiu huiusmodi impossibilitas perduret», Episcoporum Conferentia permittere potest ut

¹⁵ Immo ob difficultatem vel momentum alicuius causae concretae, Episcopus eam committere potest quoque iudicio quinque iudicum (c. 1425, § 2).

¹⁶ «Iudices semel designatos ne subroget Vicarius iudicialis, nisi ex gravissima causa in decreto exprimenda» (c. 1425, § 5).

¹⁷ Haec specifica munera praesidis indicantur in Codice: designare ponentem (c. 1429) et auditorem (c. 1428, § 1), videre de recusationibus contra promotorem iustitiae, defensorem vinculi aut alios tribunalis administratos oppositis (c. 1449, § 4), libellum admittere vel reicere (c. 1505, § 1), partes et defensorem vinculi citare (cc. 1507, § 1; 1677, § 1; necnon c. 1434, n. 1), formulam dubii vel dubiorum decreto statuere (c. 1677, § 2), causae instructionem disponere (c. 1677, § 4), de quaestionibus incidentibus, solvendis per decretum, videre, si id eidem commissum fuerit (c. 1590, § 2), statuere qua die et hora iudices ad deliberandum de sententia ferenda conveniant (c. 1609, § 1), discussionem in huiusmodi sessione dirigere (c. 1609, § 3).

Episcopus causas in primo iudicii gradu «unico iudici clerico committat, qui, ubi fieri possit, assessorem et auditorem sibi asciscat» (c. 1425, § 4)¹⁸.

Ubi hoc verificatur Vicarius iudicialis hunc iudicem unicum, ex illis apud tribunal exstantibus, designare per decretum debet, nisi in aliquo tribunali unus solummodo habeatur iudex qui insimul sit Vicarius iudicialis.

c. Eodem decreto, quo collegium vel iudex unicus designatur, designandi sunt etiam *defensor vinculi* (et promotor iustitiae si ad normam c. 1431, § 1, intervenire debeat) necnon *notarius*, si ii administri plures sint.

d. Hoc Vicarii iudicialis decretum etiam a notario subscriptum (cf. 1437, § 1), *notificandum* est iis quos respicit (sc. iudicibus et aliis administris) necnon parti atrici vel eiusdem procuratori, ut hi possint — si et quatenus — aliquem vel aliquos ex designatis iudicibus aliisque administris recusare. Praedictum decretum non est tamen statim communicandum cum parte conventa quae adhuc causam ignorare supponitur¹⁹.

e. Recepto decreto, collegii praeses debet, sua ex parte, «unum ex iudicibus collegii *ponentem* seu relatores designare», cuius munus specificum erit in coetu iudicum de causa referre et sententiam in scriptis redigere (c. 1429)²⁰, at etiam in periodo introductoria de quo agimus, aliqua — uti notabo (II: 2a, 4b) — eidem iam committi possunt.

¹⁸ Munus assessoris indicatur in c. 1424 (de eodem cf. etiam cc. 1447 et 1448, § 2), officium vero auditoris describit c. 1428 (de eodem cf. etiam cc. 1448, § 2, 1561, 1590, § 2).

¹⁹ Ad rem cf. J. PINNA, *Praxis iudicialis canonica*, Ed. 2a, Romae 1966, 16-18.

²⁰ «In ipsius locum idem praeses alium ex iusta causa substituere potest» (c. 1429).

Saeppissime munus ponentis ipse praeses assumit, quod legitimum est, immo haud rare valde opportunum, praesertim si alii iudices collegii debita non gaudent praeparatione ad hoc officium rite explendum²¹.

f. Praeses collegii vel iudex unicus possunt etiam «*auditorem* designare ad causae instructionem peragendam, eum seligentes aut ex tribunalis iudicibus aut ex personis ab Episcopo ad hoc munus approbatis» (c. 1428, § 1)²².

Forsitan de hac designatione dicere possim solummodo in fine huius relationis, nam munus auditoris refertur ad periodum probatoriam processus et non ad periodum introductoriā de qua nunc sermo, et exinde auditor designari possit etiam post litem contestatam. At — uti mihi videtur — nihil impedit, ut prius designetur, etiam ad hoc ut praeses collegii vel iudex unicus eidem committat, in ordine ad ipsum libellum admittendum vel reiciendum, aliquam investigationem nempe circa tribunalis competentiam et actoris legitimam personam standi in iudicio, de qua re mox dicam.

²¹ Signatura Apostolica aliquando dispensationem a titulo academico — de quo in c. 1421, § 3 — ad munus iudicis exercendum, concedit solummodo ea condicione ne persona dispensata officium praesidis vel ponentis assumat. Cf. apud Signaturam Apostolicam, inter casus recentiores v.gr. prot. nn. 4012/92 SAT, 2355/93 SAT, 3239/93 SAT, 4056/93 SAT, 4114/93 SAT, 4182/93 SAT, 4595/93 SAT, 4615/93 SAT, 5045/93 SAT.

²² Can. 1428, § 2: «Episcopus potest ad auditoris munus approbare clericos vel laicos, qui bonis moribus, prudentia et doctrina fulgeant».

§ 3: «Auditoris est, secundum iudicis mandatum, probationes tantum colligere easque collectas iudici tradere; potest autem, nisi iudicis mandatum obstet, interim decidere quae et quomodo probationes colligendae sint, si forte de hac re quaestio oriatur, dum ipse munus suum exercet».

g. Hic memorandus est c. 1448, § 1, in quo statuitur: «Iudex cognoscendam ne suscipiat causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et usque ad quartum gradum lineae collateralis, vel ratione tutelae et curatelaе, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit»²³.

In § 2 eiusdem canonis autem legitur: «In eisdem adiunctis ab officio suo abstinere debent iustitiae promotor, defensor vinculi, assessor et auditor». Omnino opportunum esse censeo, ut iisdem in circumstantiis — attento momento eius interventus in processu (cf. c. 1437) — abstineat etiam notarius.

Qui in talibus condicionibus versatur, ratione adducta, petere debet ut alius in eius locum substituatur.

Si autem substitutionem non petit, seu non abstinet, pars eum recusare potest.

De recusatione — seu quisnam singulis in facti speciebus de eadem videre debeat, quae sint consecutaria recusationis admissae (quoad ulterius iudicium causae necnon quoad actus antea positos) et quomodo procedendum sit — agunt cc. 1449-1451.

h. Habentur casus in quibus omnes tribunalis iudices et administri praedictis in adiunctis inveniuntur, v.gr. quia actor vel conventus opus apud tribunal praestat, vel aliquod officium exercet in curia dioecesana ad quam tribunal pertinet. Tunc totum tribunal, etsi iure competens, abstinere debet, seu eidem causam iudicare non licet. Quapropter, si tunc non habetur aliud tribunal iure aequae competens, petendum est a Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae, ut ali-

²³ De computatione consanguinitatis et affinitatis agunt cc. 108-109.

cuius alii tribunalis non suspecti competentiam proroget ad eandem causam pertractandam et definiendam (quoad competentiam Signaturae Apostolicae hac in re cf. c. 1445, § 3, n. 2 et Const. Ap. *Pastor bonus*, art. 124, n. 3)²⁴.

Id petere potest ipse tribunal quatenus se absteineat, vel id petere potest pars quatenus tribunal recuset.

In casu de quo sermo, prospectari etiam potest alia solutio, nempe quod Episcopus — toto tribunali abstinente vel a parte recusato — tribunal «ad casum» constituat ex aliis personis. At est solutio quae saepe adhiberi nequit aut non est opportuna: vel quia tunc etiam Episcopus aliquo modo suspectus haberi potest, quatenus tribunalis (et curiae) moderator, et exinde non convenit ut ipse iudices et alios administratos nominet; vel quia pars timet tribunalis ordinarii vel curiae administratos influxum exercituros esse super iudices «ad casum» ex eadem dioecesi nominatos; vel simpliciter quia desunt in dioecesi aliae personae debite praeparatae ad causam rite definiendam.

5. *Peragenda ante acceptionem libelli*

Libello exhibito, occasione eius examinis, seu «*antequam causam acceptet*», iudex «pastoralia media adhibeat, ut coniuges, si fieri potest, ad matrimonium forte convalidandum et ad coniugalem convictum restaurandum inducantur» (c. 1676)²⁵.

²⁴ Quoad casus huius generis, apud Signaturam Apostolicam cf. v.gr. prot. nn. 18997/87 CP, 19581/87 CP, 19597/87 CP, 20044/88 CP, 20611/88 CP, 22119/90 CP, 22252/90 CP, 22253/90 CP, 22355/91 CP, 22527/91 CP, 22531/91 CP, 22772/91 CP, 22926/91 CP, 22974/91 CP, 23113/91 CP, 23187/92 CP, 24125/93 CP.

²⁵ De matrimonii convalidatione agunt cc. 1156-1165.

Hoc praescripto legis «in luce ponitur interesse Ecclesiae pro stabilitate vinculi matrimonialis, omnibus modis fovenda ac tuenda»²⁶.

Uti patet, praedictum conamen ante admissionem libelli facere debet ille iudex — quem mox indicabo — ad quem pertinet libellum admittere aut reicere.

Illa «pastoralia media» iudex adhibere debet «quotiescumque spem boni exitus perspicit» (cf. c. 1676), secus ad hoc non obligatur. Saepe enim huiusmodi conamen clare inutile apparet.

Immo, aliquando id prorsus excludendum est, quoties nempe de nullitate matrimonii agatur quae nullimode eliminari potest, v.gr. in casu insanabilis impotentiae vel insanabilis morbi psychici.

Notandum demum est, non agi hic de «pastoralibus mediis» adhibendis solummodo antequam libellus admittatur, nam ad eadem recurrendum est etiam *in quacumque processus periodo*, quoties spes boni exitus perspicitur (cf. c. 1446, § 2).

6. *Examen in ordine ad libellum acceptandum aut rei-ciendum*

Post debitum examen, tribunal debet libellum admittere aut reicere, et quidem:

— «quam primum»

— per decretum (c. 1505, § 1).

a. *Ad quem pertinet huiusmodi examen peragere et decretum admissionis aut reiectionis ferre?* Respondit Codex: id facere debet «iudex unicus vel tribunalis collegialis praeses» (*ibid.*).

²⁶ *Communicationes* 11 (1979) 260. Cf. etiam IOANNES PAULUS II, *Allocutio ad Rotam Romanam*, diei 18 ianuarii 1990, n. 6, in AAS 82 (1990) 875-876.

In causis nullitatis matrimonii proinde — quae nempe «tribunali collegiali trium iudicum reservantur» (c. 1425, § 1) — hoc examen peragere et decretum ferre debet collegii praeses (c. 1505, § 1).

Ubi exceptionaliter causam definire debet iudex unicus, ad eum evidenter pertinet munus libellum examinandi eumque admittendi aut reiciendi (c. 1505, § 1).

b. *Obiectum huiusmodi examinis.* Perspecto c. 1505, §§ 1-2, apparet iudicem in examine libelli peragendo, in ordine ad eundem admittendum vel reiciendum, de quattuor videre debet (quae respondent quattuor rationibus ob quas libellus reici potest, de qua re paulo postea dicam), nempe:

— an tribunal sit competens ad causam pettractandam,

— an parti actrici adsit legitima persona standi in iudicio,

— an in libello ea contineantur quae in eo includi debeant (enumerata supra, sub 3a),

— an libellus aliquo nitatur fundamento.

Duo priora ex praedictis elementis praesupposita respiciunt processus, alia duo ipsam causam. De illis prioribus aliquid breviter dicendum est.

1) *Competentia.* Pro aliquibus causis nullitatis matrimonii, competens dumtaxat est ipse Romanus Pontifex, nempe: quoties agatur de iis qui supremum tenent civitatis magistratum vel de causis quas ipse ad suum advocaverit iudicium (c. 1405, § 1, n. 1 et n. 4, cf. etiam c. 1417). Pro his causis incompetencia aliorum iudicum est absoluta (c. 1406, § 2) et proinde insanabilem sententiae nullitatem producit (c. 1620, n. 1). Incompetencia absoluta haberi etiam potest tum ratione gradus tum ratione materiae. *Ratione gradus* (cf. c. 1440), si iterum in prima instantia introducatur eadem

causa²⁷ quae in eodem gradu iam definita est ab hoc vel alio tribunali, vel si in primo gradu introducatur causa apud tribunal constitutum solummodo pro secunda instantia. *Ratione materiae*²⁸, si causa nullitatis matrimonii introducatur apud tribunal competens solummodo pro aliis causis, scilicet exceptis matrimonialibus²⁹.

In causis de nullitate matrimonii, quae non sint Sedi Apostolicae reservatae, inter tribunalia constituta ad huius generis causas pertractandas in prima instantia, «competentia sunt:

1. tribunal loci in quo matrimonium celebratum est;
2. tribunal loci in quo pars conventa domicilium vel quasi-domicilium habet;

3. tribunal loci in quo pars actrix domicilium habet, dummodo utraque pars in territorio eiusdem Episcoporum conferentiae degat et vicarius iudicialis domicilii partis conventae, ipsa audita, consentiat;

4. tribunal loci in quo de facto colligendae sunt pleraeque probationes, dummodo accedat consensus Vicarii iudicialis domicilii partis conventae, qui prius ipsam interroget, num quid excipiendum habeat» (c. 1673).

²⁷ Eadem causa habetur si simul agitur de: 1. iisdem personis, 2. eodem petito (nullitate matrimonii) et 3. eadem causa petendi (sc. eodem capite nullitatis). Cf. ad rem c. 1641, n. 1.

Quoad huiusmodi incompetentiam cf. SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL, *Declaratio de foro competenti in causa nullitatis matrimonii, post sententiam negativam in prima instantia latam*, diei 3 iunii 1989, in AAS 81 (1989) 988-990.

²⁸ Cf. v.gr. SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL, prot. nn. 18679/87 VT, 19764/88 VT, 21362/89 VT.

²⁹ Ita v.gr. in Italia habentur tribunalia interdioecesana pro solis causis nullitatis matrimonii, et proinde in unaquaque dioecesi existat tribunal pro aliis causis, scilicet exceptis illis quae nullitatem matrimonii respiciunt. Similiter res se habet in aliquibus aliis nationibus.

De hac re iam in praecedenti Symposio aliqua dixi et ad ea remitto³⁰.

Notare tamen velim incompetentiam ratione solummodo territorii (seu loci) esse relativam, id est si nemo eam excipit ad normam c. 1459, § 2 (videas etiam c. 1460), ipso iure sanatur.

2) *Legitima persona standi in iudicio* duo comprehendit: a) legitimationem ad causam, seu agnitionem facultatis suum assertum ius defendendi in processu (conectitur cum actione); b) legitimationem ad processum, id est facultatem iura vel actiones sibi competentes exercendi in processu, quae facultas est praesuppositum valide ponendi singulos actus processuales³¹.

Sententia «lata inter partes, quorum altera saltem non habeat personam standi in iudicio» est insanabiliter nulla (c. 1620, n. 5).

Ad causas de nullitate matrimonii quod spectat, primum ex praedictis duobus elementis nihil aliud est nisiabilitas ad impugnandum matrimonium de qua dixi supra (2a-b) seu refertur ad cc. 1674-1675.

Quoad alterum elementum «legitimae personae standi in iudicio», vide praesertim c. 1478 § 1, iuxta quem: «...ii qui rationis usu destituti sunt, stare in iudicio tantummodo possunt per eorum [suos]... curatores...», et § 4 eiusdem canonis, in qua legitur: «ii qui minus firmae mentis sunt... agere et respondere debent per suos curatores». Iuxta Codicem — notandum est —

³⁰ Z. GROCHOLEWSKI, *De ordinatione ac munere tribunalium in Ecclesia ratione quoque habita iustitiae administrativae*, in *Epemerides Iuris Canonici* 48 (1992) 59-61; *idem* in lingua slovacica in *Ius et Iustitia. Acta I symposii iuris canonici anni 1991*, Bratislava 1992, 27-29.

³¹ Cf. F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I, Ed. 4a, Civitas Vaticana 1956, 510 et 588 (nn. 215 et 250).

ad iudicem pertinet curatorem iam constitutum admittere vel novum designare. Statuit enim c. 1479: «Quoties adest tutor aut curator ab auctoritate civili constitutus, idem potest a iudice ecclesiastico admitti, audito, si fieri potest, Episcopo dioecetano eius cui datus est; quod si non adsit aut non videatur admittendus, ipse iudex tutorem aut curatorem pro causa designabit»³².

7. *Quas ob rationes libellus reici potest?*

Can. 1505, § 2, taxative quattuor enumerat rationes ob quas libellus reici potest:

1) *Si «tribunal incompetens sit»*, sive agatur de incompetencia absoluta sive relativa. Tribunal incompetens libellum reicere debet. Memorandus est ad rem insuper c. 1457, § 1, iuxta quem «Iudices qui, cum certe et evidenter competentes sint, ius reddere recusent, vel nullo suffragante iuris praescripto se competentes declarent atque causas cognoscant ac definiant... congruis poenis a competenti auctoritate punire possunt, non exclusa officii privatione»³³.

2) *«Si sine dubio constet actori legitimam deesse personam standi in iudicio»*, sive agatur de defectu legitimationis «ad causam» seu ad agendum (v.gr. viventibus coniugibus accusare matrimonium de nullitate

³² Si autem matrimonium nullitatis accusatur post mortem alterutrius vel utriusque coniugis verificari possunt aliae species defectus legitimationis ad processum in actore, de quibus in c. 1478 (ob minorem aetatem, ob usus rationis destitutionem, ob bonis interdictionem), et tunc pro actore agere possunt, prout casus ferat, etiam parens vel tutor.

³³ Ad rem cf. Z. GROCHOLEWSKI, *Tutela penale della famiglia nei processi canonici di nullità di matrimonio*, in *La famiglia e i suoi diritti nella comunità civile e religiosa* («Utrumque Ius», 16), Roma 1987, 451-460, praesertim pp. 454-456.

velint eorum filii vel heredes), sive agatur de defectu legitimationis «ad processum» (v.gr. si accusare matrimonium velit coniux «minus firmæ mentis» per seipsum et non eius curator).

In ordine ad libellum admittendum vel reiciendum, attendendum est ad personam standi in iudicio tantum actoris non vero partis conventae. Notandum praeterea est de defectu personae standi in iudicio in actore «sine dubio» constare debet: in dubio (quod haberi potest v.gr. circa «minus firmam mentem» coniugis) praesumenda est legitimitas standi in iudicio (cf. c. 18) et libellus admittendus est. Saepe huiusmodi in casibus, ad evitandas quaestiones, curator designatur «ad cautelam».

3) «*Si non servata sint praescripta can. 1504, nn. 1-3*», seu libellus non contineat memorata supra (3a) requisita essentialia (tribunal aditum, partes, petitem et causa petendi), integrantia (indicatio probationum) et formalia (legitima subscriptio, indicatio diei et loci), quae ex legis praescripto in libello inveniri debent³⁴. Animadvertendum est libellum reici non posse ob defectum indicationis domicilii vel quasi-domicilii partis conventae, de qua in c. 1504, n. 4.

4) «*Si certo pateat ex ipso libello petitionem quolibet carere fundamento, neque fieri posse, ut aliquod ex processu fundamentum appareat*». Agitur hic certo certius tum de fundamento iuridico («quo iure innitatur actor» seu de causa petendi) tum de fundamento probatorio. Ita, libellus reici debet sive quando adducitur aliqua ratio nullitatis matrimonii quae — perspecta lege — omnino impar est ad matrimonium reddendum invalidum, seu adducitur caput nullitatis haud existens (v.gr. accusatur nullitas matrimonii ob mulieris sterilitatem, vel ob non servatam formam canonicam in ma-

³⁴ Cf. A. STANKIEWICZ, *De libelli...* (cf. nt. 10), 77, sub c.

trimonio duorum protestantium), sive — etsi adducatur caput nullitatis exsistens — quando falsitas de asserto facto in aperto est.

Quoad hanc rationem reiectionis libelli omnes determinationes legis attente considerandae sunt, scilicet notandum est libellum reici posse ob defectum fundamenti (fumi bonis iuris) solummodo si: a) «*ex ipso libello*», et non ex aliqua ulteriore investigatione, «*certo pateat*», seu in aperto sit, «*petitionem quolibet carere fundamento*», et insimul b) «*neque fieri posse*, ut aliquod ex processu fundamentum appareat»³⁵. Ideoque ob defectum fundamenti, seu fumi boni iuris, libellus reici potest tantummodo in casibus patentibus; non vero si fundamentum labile vel dubium appareat.

8. *Praevia investigatio*

Aliquando ponitur quaestio utrum aliqua praevia investigatio (quam aliqui vocant «*extraiudicalem*») facienda sit vel fieri possit a iudice in ordine ad libellum admittendum vel reiciendum.

Ad rem, perspectis supra iam dictis, distinguendum est inter: a) questionem de competentia tribunalis ac de legitima persona standi in iudicio ex parte actoris et b) quaestionem de merito causae.

Ad a. Ad normam c. 1505, § 1, iudex videre debet, antequam libellum admittat aut reiciat, an sit competens et an actori legitima non desit persona standi in iudicio. Quapropter circa hanc rem investigationem facere et probationes colligere potest, immo — si et quatenus — debet. Quae investigatio simpliciter tamquam extraiudicialis considerari nequit.

³⁵ Ad rem cf. ROTA ROMANA, coram BRUNO, Opolien., diei 23 maii 1986, nn. 7-8, in *Quaderni Studio Rotale* 2 (1987) 102-103.

Ad b. Quoad meritum causae, e contra, ante admissionem libelli non pertinet ad iudicem verificare, per aliquam praeviam investigationem, utrum vera sint quae ab actore asseruntur, immo id eidem facere non licet³⁶, nam:

— Una ex parte, iudex, uti nuper dixi, libellum reicere potest, ad meritum causae quod attinet, «tantum» — veniam peto repetitionis — «si certo pateat *ex ipso libello* petitionem quolibet carere fundamento» et insuper «neque fieri posse, ut aliquod ex processu fundamentum appareat»³⁷. Si ex libello aliquod possibile fundamentum pro petitione actoris appareat, iudex libellum admittere *debet*, et non licet ei ulteriores quae-
rere probationes³⁸.

— Altera ex parte, prae oculis habeatur c. 1529, qui clare praecipit: «Iudex ad probationes colligendas

³⁶ Aliquatenus aliter censet A. STANKIEWICZ, *De libelli...* (cf. nt. 10), 76-77; ROTA ROMANA, coram STANKIEWICZ, Opolien., diei 10 octobris 1985, nn. 8-10, in *Quaderni Studio Rotale* 2 (1987) 95-97 (hoc decretum publici iuris factum est etiam in *Monitor Ecclesiasticus* 111, 1986, 297-303); G. SHEEHY, *Introducing a Case of Nullity of Marriage*, in *Dilexit Iustitiam* (Studia in honorem Aurelii Card. Sabattani), Città del Vaticano 1984, 345 et 347.

³⁷ Si vero desint in libello necessario in eo includenda, idem reici debet ob non servata praescripta c. 1504, nn. 1-3.

³⁸ In decreto coram Bruno, (cf. nt. 35), legitur: «Iudices sive primi sive alterius gradus praescriptum canonis 1505 § 2, n. 4, evidenter neglexerunt. Reiectionem enim decreverunt non quia “ex ipso libello” patens erat petitionem quolibet fundamento care-
re; non ob vitia in illo insita, sed ex probationibus e praeliminari instructoria... haustis» (n. 8, p. 103) et hanc principaliter ob rationem Turnus rotalis concessit restitutionem in integrum adversus denegatam admissionem libelli. In eodem decreto haec etiam perspicacia verba leguntur: «Si iudices ad reiciendum libellum necessarium autumarunt instructoriam praeliminarem, deduci debet assertam carentiam fundamenti ex ipsa petitione non patere, et ideo libellus non reiciendus, sed admittendus erat» (ibidem).

ne procedat ante litis contestationem nisi ob gravem causam». Huiusmodi gravis causa esse potest periculum perimendi probationem (v.gr. ob praevisam mortem testis) vel reddendi valde difficilem eius collectionem (v.gr. ob longum testis iter), non vero — uti patet ex c. 1505, § 2, n. 4 — necessitas habendi ulteriora elementa in ordine ad libellum admittendum vel minus, ad meritum causae quod spectat. Ceterum, cum solummodo post litem contestatam, quando nempe iam clare delimitatum est obiectum litis, interrogatio partium et testium iudicio petito vere adaequata haberi possit, interrogationes praeviae essent etiam contra oeconomiam processualem.

Unica exceptio dari videtur si ex libello nullum appareat possibile fundamentum. Tunc — et solummodo tunc — iudex aliquam limitatam investigationem peragere valet, sed tantummodo ad videndum utrum pro petitione aliquod fundamentum emergere possit. Si aliquod ex hac investigatione fundamentum emergat, iudex libellum admittere debet, sese abstinendo in hac periodo initiali ab ulterioribus investigationibus circa meritum³⁹.

9. *Decretum admissionis aut reiectionis libelli*

Quoad iudicis pronuntiationes, c. 1617 statuit: «decreta, quae si mere ordinatoria non sint, vim non habent, nisi saltem summarie motiva exprimant, vel ad motiva in alio actu expressa remittant».

Decretum *reiectionis* libelli absque ullo dubio non est mere ordinarium sed decisorium — immo vim

³⁹ Z. GROCHOLEWSKI, *The Gathering of Proofs before the Joinder of Issues*, in *Roman Replies and CLSA Advisory Opinions* 1992, 128-129; idem (revised) in *CLSA Opinions 1984-1993*, Ed. by P.J. Cogan, Washington 1995, 459-460.

habet sententiae definitivae, quia iudicium impedit (cf. c. 1618) —, quapropter ad validitatem motiva exprimere debet. Quae expressio motivorum necessaria est ad hoc ut, actori, si et quatenus, possibilitas praebetur libellum emendandi vel decretum reiectionis impugnandi. Agitur tamen de motivis «saltem summarie» exprimendis, id est sufficit motivorum indicatio et non est necessaria eorum explanatio.

Aliter res se habet ad decretum *admissionis* libelli quod attinet. In eo specificorum motivorum indicatio ad validitatem non requiritur. Tamquam ratio pro hac assertione adducitur ab Auctoribus factum quod huiusmodi decretum est mere ordinatorium⁴⁰. Haec ratio potest primo visu non plene convincere. Etenim, si decretum reiectionis non est mere ordinatorium sed decisorium, videri potest decretum admissionis eiusdem esse generis, eo vel magis quod in utroque casu idem libelli examen praesupponitur⁴¹. Attamen notandum censeo nullam specificam rationem exigi ad libelli admissionem, nisi absentiam rationum ob quas idem reici debet (cf. c. 1505, § 2). Quapropter, si iudex aliquam invenit rationem ob quam libellus reiciendus est, eam indicare debet; si nullam invenit, opus non est ut aliquid ad rem demonstret.

⁴⁰ Cf. F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I, Ed. 4a, Civitas Vaticana 1956, 491-492; A. STANKIEWICZ, *De libelli...* (cf. nt. 10), 78; ID., *De citationis necessitate et impugnatione*, in *Quaderni Studio Rotale* 4 (1989) 79.

⁴¹ K. LÜDICKE censet decretum admissionis libelli esse decisorium, et hanc ob rationem exigit ut sit motivatum, «z.B. durch die Angabe, daß die Zulassungskriterien geprüft seien» (in *Münsterischer Kommentar zum CIC*, Essen seit 1985 [Loseblattwerk] Stand: 17. Erg.-Lfg. April 1992, 1505, 3). At *factum* quod criteria admissionis libelli examinata fuerunt *qua tale* constituere non videtur *motivum* admissionis (nec *motivum* specificum admissionis nec *motivum* specificum reiectionis).

Ad rem melius intelligendam, animadvertas: Si libellus *reiectus* est absque indicatione motivorum, incertum manet quam ob rationem idem reiectus sit, et exinde dubium habetur de possibilitate et modo libellum emendandi vel decretum reiectionis impugnandi. Si, e contra, libellus *admissus* est absque indicatione motivorum, omnino clarum est curam admissus sit, nempe quia iudex, in casu, nullam invenit rationem ob quam libellus ad normam c. 1505, § 2, reici potuit: et nulla huiusmodi ratione inventa libellum admittere debuit.

Nihilominus laudanda est praxis, fere communis, indicandi in decreto admissionis libelli iudicem ea verificasse quae admissionem libelli praesupponunt⁴², v.gr. his plus minusve verbis: «Visa propria competentia; Attento quod actori legitima non deest persona standi in iudicio; Animadverso quod libellus ea continet quae in eodem ad normam iuris exprimenda sunt; Cum non pateat petitionem actoris quolibet carere fundamento».

Nunc in quattuor sequentibus punctis de remediis iuris dicam adversus libelli reiectionem.

10. *Nova libelli propositio*

Si libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt — v.gr. ob defectum mandati procuratoris, ob omissam indicationem «quo iure innitatur actor», ob praetermissam indicationem probationum, ob omissam subscriptionem, etc. — tunc actor novum libellum rite confectum eidem iudici denuo exhibere potest (c. 1505, § 3).

⁴² K. LÜDICKE censet id omnino requiri et motivum constituere admissionis libelli (cf. nt. 41).

Novi libelli exhibitio quocumque tempore fieri potest.

Talis possibilitas — proponendi libellum emendatum circa idem nullitatis matrimonii caput — praeclusa non est nequidem post secundam vel ulteriorem libelli reiectionem.

11. *Rekursus adversus libelli reiectionem*

Ad normam c. 1505, § 4, «Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum rationibus suffultum interponere vel ad tribunal appellationis vel ad collegium, si libellus reiectus fuerit a praeside; quaestio autem reiectionis expeditissime definienda est».

a. Huiusmodi recursus, exinde, interponi debet *intra tempus decem dierum*. Agitur tamen de tempore utili, seu quod «ignoranti aut agere non valenti» non currit (c. 201, § 2). Si intra hoc tempus recursus interpositus non fuerit, actori aliud non superest remedium nisi — si et quatenus — exhibitio novi libelli magis completi, id est emendatis vitiis, ob quae libellus reiectus fuerit.

b. Recursus de quo hic sermo *rationibus* suffultus esse debet, ob quas actor censet iudicem in casu libellum admittere debuisse, seu illegitime eum reiecisisse.

c. Aliqui censent hunc recursum *interponi* debere coram iudice a quo et deinde proseguendum esse coram iudice ad quem⁴³. Cum vero citatus canon id expresse non dicat, cumque desit in Codice aliqua norma generalis quae id exigat, censeo sufficere ut recursus directe exhibeatur coram iudice ad quem, eo vel magis quod idem recursus intra decem dies interponendus iam rationes continere debet quodque ex directa exhi-

⁴³ Cf. A. STANKIEWICZ, *De libelli...* (cf. nt. 10), 79.

bitione recursus iudici ad quem nullum videtur oriri incommodum. Evidenter nihil impedit quominus recursus per tramitem iudicis a quo iudici ad quem transmittatur, sed non mihi videntur necessarii duo actus, nempe interpositio recursus et eius prosecutio.

d. Controversa autem est quaestio: *quis praecise sit iudex ad quem* in casu?

Nulla habetur difficultas si libellus reiectus fuerit a iudice unico. Tunc enim, iuxta citatum c. 1505, § 4, iudex ad quem nonnisi tribunal appellationis esse potest.

Quaestio respicit casum quando libellus reiectus fuerit a praeside tribunalis collegialis, prout obvenit — tamquam principium — in causis nullitatis matrimonii. Ad quem actor tunc recurrere potest? Quattuor habentur opiniones:

1) Plures auctores dicunt recursum tunc fieri posse solummodo *ad collegium* et, si collegium confirmat decisionem praesidis, nullam dari possibilitatem ulterioris recursus vel appellationis, nam citatus canon cavet «quaestio... reiectionis expeditissime definienda est» et «non est locus appellationi... a decreto in causa de qua ius cavet expeditissime rem esse definiendam» (c. 1629, n. 5)⁴⁴.

⁴⁴ Ita J.L. ACEBAL, in *Codigo de Derecho Canónico*, Ed. 2a, Madrid 1983, 742; C. DE DIEGO-LORA, in *Codigo de Derecho Canónico*, Pamplona 1983, 906 (idem in editione italiana *Codice di Diritto Canonico*, vol. III, Roma 1986, 1095); H. FLATTEN, in *Handbuch des Katholischen Kirchenrechts*, Regensburg 1983, 988; J.J. GARCÍA FAÍLDE, *Nuevo Derecho procesal canónico*, Salamanca 1984, 47; G. SHEEHY, *Introducing a Case of Nullity* (cf. nt. 36), 346; L. MATTIOLI, *La fase introduttoria del processo e la non comparsa della parte convenuta*, in *Il processo matrimoniale canonico*, Città del Vaticano 1988, 217-218; T. PAWLAK, *Prawo Kanoniczne według Kodeksu Jana Pawła II*, vol. IV, Olsztyn 1990, 235; L. CHIAPPETTA, *Il matrimonio nella nuova legislazione canonica e concordataria*, Roma 1990, 487, n. 1473.

2) Aliqui auctores defendunt thesim iuxta quam «a decreto praesidis, quo libellus reiectus est, parti actrici *primum datur ius recurrendi ad collegium, dein ad tribunal appellationis*»⁴⁵ adducentes, pro possibilitate ulterioris recursus ad tribunal appellationis, subtilia argumenta praesertim: a) ex itinere formulationis c. 1505, § 4; b) ex analysi locorum parallelorum in quibus sermo est de «recursu» vel adhibetur vox «expeditissime»; necnon c) ex mente legislatoris⁴⁶.

Thesis haec tamen non convincit quia una ex parte argumenta adducta non apparent peremptoria, et altera ex parte textus c. 1505, § 4, uti iacet, non videtur admittere huiusmodi interpretationem, eo vel magis quod, si talis esset sensus legis tunc verba «expeditissime definienda est», quae iuxta eosdem auctores sese referunt ad decisionem tribunalis appellationis, essent omnino inutilia eo quod inappellabilitas (ad quam designandam adhibetur locutio «expeditissime»⁴⁷) proveniret iam ex duplici decisione conformi (nempe tribuna-

⁴⁵ ROTA ROMANA, coram STANKIEWICZ, Montereyen. in California, diei 24 maii 1984: cit. in A. STANKIEWICZ, *De libelli...* (cf. nt. 10), 80-81, nt. 71.

⁴⁶ Dicta argumenta exponunt A. STANKIEWICZ, *De libelli...* (cf. nt. 10), 80-81; K. LÜDICKE, in *Münsterischer Kommentar...* (cf. nt. 41), 1505, 12-18. Eadem argumenta repetit M.P. HILBERT, *L'introduzione della causa*, in *Forum* 3 (1992) I, 57-61.

Absque argumentis pro hac thesi se pronuntiant C. ZAGGIA, in *Il matrimonio del nuovo Codice di Diritto Canonico*, Padova 1984, 210 sub 7; R. PARALIEU, *Guide pratique du Code de Droit Canonique*, Bourges 1985, 422.

⁴⁷ Vox «expeditissime» utique indicat voluntatem legislatoris ut quaestio quam primum solvatur, at nemo est qui nesciat Codicem hanc specificam vocem adhibere praesertim ad denotandas decisiones contra quas non datur appellatio (cf. c. 1629, n. 5). Secus Codex utitur simpliciter voce «quam primum» (cf. cc. 1453, 1459, § 2, 1505, § 1, 1519, § 2, 1614, 1634, § 2, 1668, § 3, 1685).

lis primae et secundae instantiae)⁴⁸. Ceterum difficulter conciliatur cum desiderata celeritate possibilitas impugnationis decreti reiectionis libelli primum coram collegio et dein coram tribunali superiori.

3) Iuxta tertiam opinionem, actor in casu de quo agitur recurrere potest *vel ad collegium vel*, praetermisso recurso ad collegium, *directe ad tribunal superius*; si vero recurrit ad collegium ulterior possibilitas eidem recurrendi vel appellandi ad tribunal superius non datur⁴⁹. Haec opinio placet. Etenim: a) prae oculis habito sensu coniunctionis «vel... vel», textus c. 1505, § 4, revera non excludit recursum directum ad tribunal superius contra reiectionem libelli a praeside, sed tantum explicat quandonam detur possibilitas recurrendi ad collegium; b) locutio «quaestio... reiectionis expeditissime definienda est» non permittit ut contra primam decisionem circa recursum detur appellatio vel novus recursus; c) haec interpretatio cohaeret cum intenta celeritate processuali et non coarctat exercitium iurium.

4) Non deest qui adhuc aliam habet opinionem — quae cum praecedenti concordat quoad possibilitatem recurrendi contra decisionem praesidis vel ad collegium vel ad tribunal, et differt ab ea eo quod, in casu confirmationis reiectionis libelli ex parte collegii, admittit ulteriorem recursum ad tribunal appellationis⁵⁰.

⁴⁸ L. MATTIOLI, *La fase introduttoria...* (cf. nt. 44), 218.

⁴⁹ Hanc opinionem propagat F. DANEELS, in scholis apud Pontificiam Universitatem Gregorianam. Eadem etiam invenies in J.M. PIÑERO CARRION, *La ley de la Iglesia*, vol. II, Madrid 1986, 500; ROTA ROMANA, coram PINTO, Caracen., 23 martii 1987, n. 1, in *Quaderni Studio Rotale* 2 (1987) 107; P. CHURCHILL, *The Admission and Rejection of the Libellus in the Canonical Tradition and especially according to the 1983 Code of Canon Law*, Romae 1993, 202-205.

⁵⁰ M.P. HILBERT, *L'introduzione della causa* (cf. nt. 46), 57-61.

Uti ex supra dictis patet, mihi haec possibilitas ulterioris recursus contra decisionem collegii admittenda non videtur.

e. Evidenter si, post recursum interpositum ad tribunal appellationis (in casu exceptionalis contra decisionem iudicis unici primae instantiae, vel contra decretum praesidis directe ad tribunal appellationis interpositum), hoc libellum admittat, causa remittenda est pro eius tractatione ad tribunal a quo⁵¹.

12. *Querela nullitatis*

Nullum est dubium quod adversus decretum reiectionis libelli suppetit actori possibilitas proponendi querelam nullitatis (de qua in cc. 1619-1627).

Huiusmodi decretum enim aliquo vitio nullitatis laborare potest, sive insanabilis (cf. c. 1620), sive sanabilis (c. 1622).

Querela nullitatis proponenda est coram iudice quod decretum tulit (cf. cc. 1621 et 1624) vel una cum recurso de quo iam sermo erat coram collegio vel coram tribunali appellationis (cf. c. 1625)⁵².

13. *Restitutio in integrum*

Controversa est autem possibilitas petendi restitutionem in integrum (de qua in cc. 1645-1648) adversus decretum confirmans reiectionem libelli.

Decretum rotale coram Stankiewicz diei 10 octobris 1985 negavit concedi posse restitutionem in integrum adversus decretum confirmans reiectionem libelli in causis matrimonialibus, eo praecipue quod huiusmodi

⁵¹ Cf. ad rem *Communicationes* 11 (1979) 85.

⁵² Quoad hoc ultimum, ita etiam A. STANKIEWICZ, *De libelli...* (cf. nt. 10), 81.

decretum — uti assertum est — directe respicit causam matrimonialem, quae, cum sit «de statu personarum», «numquam transit in rem iudicatam» (c. 1643), et restitutio in integrum datur solummodo adversus sententias quae transierunt in rem iudicatam (c. 1645, § 1)⁵³.

Adversus hanc decisionem coram Stankiewicz, patronus actoris provocavit ad Turnum superiorem coram Bruno, qui Turnus die 23 maii 1986 decisionem impugnatae reformavit, asserens: decretum «reiectionem libelli confirmans... rem iudicatam constituit», nam «libellus, prout iacet, amplius praesentari nequit, et nullum aliud remedium succurrit actori ad sua iura tuenda nisi restitutio in integrum... Exhibitio novi libelli vel propositio eiusdem funditus emendati est omnino nova petitio, quae cum praecedenti libello identificari nequit»; animadvertendo quoque: «canonis praescriptio: "Numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum", respicit meritum causae, non libellum»⁵⁴.

Etiam Turnus rotalis coram Pinto, decreto die 23 martii 1987 in alia causa lato, restitutionem in integrum concessit adversus decisionem collegii, qua confirmata est reiectio libelli ex parte praesidis⁵⁵.

⁵³ Decretum cit. supra (cf. nt. 36), 92-95, nn. 4-7.

⁵⁴ ROTA ROMANA, coram BRUNO, Opolien., diei 23 maii 1986, n. 3, in *Quaderni Studio Rotale* 2 (1987) 100-101. Cf. etiam *ibid.* 103-104, nn. 8-9.

⁵⁵ ROTA ROMANA, coram PINTO, Caracen., diei 23 martii 1987, in *Quaderni Studio Rotale* 2 (1987) 107-109.

Etiam in voto Consultoris — memorato in «facti specie» praefatorum Decretorum rotalium coram Stankiewicz et coram Bruno — quod Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal Episcopo X. misit, in forma tamen solummodo «consultationis omnino privatae», asseritur actori succurrere remedium restitutionis in integrum contra decretum confirmans reiectionem libelli, immo huiusmodi remedium in casu suggeritur (apud Signaturam Apostolicam, prot. n. 16269/84 CP).

Ipse A. Stankiewicz dein in aliquo studio eiusdem anni 1987, argumenta adducta pro admittenda restitutione in integrum in casu de quo disceptatur fortiter oppugnavit, concludendo tamen: «At non est infitiandum quin nova praxis concedens restitutionem in integrum adversus binam reiectionem libelli, quamvis peremptoriis argumentis non innitatur, quoddam utilitatis momentum habeat, cum post decreti rescissionem iudici superiori statim permittat libellum admittere et eo modo succurrere celeritati processuali, praetermissa necessitate exhibendi novum libellum coram tribunali primae instantiae»⁵⁶.

Praevalentem iurisprudentiam rotalem — quae restitutionem in integrum in huiusmodi casibus admittit — fundatam esse censeo⁵⁷. Si admitteretur opinio contraria, adversus manifestas iniustitias in re gravi nullum daretur iuris remedium. Ad hoc intellegendum ponamus exemplum clarum: Titius contrahendo matrimonium cum Caia prolem de facto exclusit, nihilominus post aliquos menses Caia quae prolem desiderabat gravida facta est et hanc novam vitam efficaciter defendit. Primum praeses et dein, post interpositum recursum, collegium tribunalis competentis in casu libellum reiecerunt quia censuerunt ob praegnationem mulieris et nativitatem prolis libellum carere quolibet fundamento⁵⁸. Si in hoc casu restitutio in integrum non admitteretur nullum aliud superesset remedium contra manife-

⁵⁶ *De libelli...* (cf. nt. 10), 81-84.

⁵⁷ Etiam L. MATTIOLI, *La fase introduttoria...*, (cf. nt. 44), 218-219, L. CHIAPPETTA, *Il matrimonio...* (cf. nt. 44), 487-488 nonché M. HILBERT, *L'introduzione della causa...* (cf. nt. 46), 62-63, — quibus nota fuerunt sententia et studium A. Stankiewicz — idem contendunt.

⁵⁸ Hoc est plus minusve casus de quo in Decreto coram PINTO (cf. nt. 55).

stam iniustitiam: nullum haberet sensum exhibitio novi libelli quia factum praegnationis Caiae nativitatisque eius filii manet; nulla datur tunc appellatio vel ulterior recursus; nec proponi potest querela nullitatis; nec peti nova causae propositio, quae causam iam instructam et decisam supponit⁵⁹. De facto tunc res iudicata habetur circa reiectionem libelli, quae iudicium de merito causae impedit. Aliis verbis, res iudicata non respicit causam nullitatis matrimonii, sed reiectionem libelli quae impedit ut causa nullitatis matrimonii pertractari possit. Obiectum enim decisionis, qua libellus reicitur, latae antequam «lis pendere incipit» (c. 1512, n. 5), et quidem absque contradictorio, non est directe petitum actoris ob adductam causam petendi (seu nullitas matrimonii ob adductum nullitatis caput), sed quaestio praeliminaris, nempe utrum circa hoc petitum processus institui possit annon.

14. *Impugnatio admissionis libelli*

Dicebamus hucusque de impugnatione decreti, quo libellus reiectus est. At etiam decretum admissionis libelli impugnari aliquando potest, proponendo exceptionem ad normam iuris. Evidenter non ab actore, sed a parte conventa vel a vinculi defensore. Hi tamen id facere poterunt solummodo post quam citatio iudicis ad eosdem perveniet. Quam ob rationem de hac re in suo loco secundae partis huius lectionis verbum dicam.

15. *Admissio libelli ipso iure*

Iam dixi iudicem debere suo decreto libellum aut admittere aut reicere «*quam primum*» (c. 1505, § 1).

⁵⁹ Cf. Decretum coram BRUNO, (cf. nt. 54), 101, n. 5.

Si iudex intra mensem ab exhibito libello (seu a libelli receptione) id non fecerit, «pars, cuius interest, instare potest ut iudex suo munere fungatur; quod si nihilominus iudex sileat, inutiliter elapsis decem diebus a facta instantia, libellus pro admissio habeatur» (c. 1506)⁶⁰.

Introductio in novo Codice huiusmodi admissionis libelli ipso iure tendit ad protegendam iura fidelium contra tribunalium negligentiam et ad celeriore reddendum iustitiae cursum⁶¹.

Animadvertendum est instantiam actoris, exhibendam post mensem silentii ex parte iudicis, esse omnino necessariam ad hoc ut, elapsis inutiliter ulterioribus decem diebus, admissio libelli ipso iure habeatur. Quapropter ipsius actoris est curare ut de hac instantia tuto constet.

Haec instantia fieri potest quocumque tempore post elapsum mensem ab exhibito libello.

Admissio libelli ipso iure tamen locum habere nequit in casibus in quibus ille necessario reici debet:

— vel quia sententia esset nulla (ob incompetentiam absolutam iudicis, ob defectum personae standi in iudicio in actore, ob defectum subscriptionis, in quo casu deesset petitio, ob petitionem factam a procuratore sine legitimo mandato: cf. c. 1620)⁶²; ad rem prae oculis habendi sunt c. 1461, iuxta quem «Iudex in quovis stadio causae se absolute incompetentem agno-

⁶⁰ Admittendam non esse censeo singularem opinionem S. VILLEGIANTE, iuxta quem hic canon applicari non potest causis matrimonialibus. Ad rem cf. K. LÜDICKE, in *Münsterischer Kommentar zum CIC* (cf. nt. 41), 1506, 9.

⁶¹ Cf. C. ZAGGIA, in *Il matrimonio nel nuovo Codice...* (cf. nt. 46), 209, nt. 8.

⁶² K. LÜDICKE, in *Münsterischer Kommentar zum CIC* (cf. nt. 41), 1506, 5.

scens, suam incompetentiam declarare debet», necnon c. 1459, § 1: «Vitia, quibus sententiae nullitas haberi potest, in quolibet iudicii statu vel gradu excipi possunt, itemque a iudice ex officio declarari»;

— vel quia processus sensum non haberet ob evidentem defectum cuiuscumque possibilis fundamenti iuridici (v.gr. si actor declarationem nullitatis matrimonii petit propter pigritiam alterius coniugis).

Disceptari potest utrum admissio libelli ipso iure habeatur quando acceptatio causae ex parte iudicis esset solummodo illegitima (id est non provocaret nullitatem sententiae nec dici posset processum sensum non habere) seu in casu incompetentiae relativae⁶³. Attento quod actor non habet ius ad pertractationem propriae causae apud forum incompetens (ne relative quidem) quodque normae de competentia servandae sunt, viso quoque c. 1457, inclinor ad dicendum etiam tunc non haberi admissionem libelli ipso iure. Non videtur enim c. 1506 illegitimitates sanare velle.

Si desunt solummodo ea quae emendari possunt nec nullitatem sententiae provocarent, libellus pro admissio habendus videtur (et vitia libelli dein emendanda erunt).

(Continuabitur)

ZENON GROCHOLEWSKI

⁶³ *Ibid.*, 1506, 6.